

Biblioteca, 2<sup>do</sup>

manutencione


LX<sup>a</sup> <sup>and</sup> 1561 Res  
complete v. 1  
2966


Hercostimeda  
see  
2/3 | 44  
Bei (owitz)











DE MAGNO ATQVE VNIVERSALI  
CATACLYSMO, ICHTHYOT YRANNIDE QVE  
LIBER, IN LVSI TANORVM REGVM

Gratiam & commendationem,

a Cadabale Graui Calydonio

in lucem editus.



Subiit sancte inquisitionis, atq; ordinariae authoritatis  
examē. Et nihil habet, quod pium lectorum offendat.

Excudebat Franciscus Correa, typographus  
Serenissimi Cardinalis  
Henrici.

Vhissippone. anno. 1565.



*Res  
2966*

*Ex Geneseos Cap. 6.7.8.9.*

*Argumentum.*

**C**ædibus, impietate, malitiaq; hominum mundi Fabricator iratus: mortale genus immiso per totum orbem diluio perdere constituit. Cum uxore, Tythea, ac nuribus Pædora, Noela, Noega, filijsq; Sem, Cham, Iaphet (receptis ter restribus atq; volatilibus animantibus) fabricatam ingreditur Arcam magnus Patriarcha Noam. Quem cum prole pro pietate ab immanibus monstrib; marinisq; belluis eripuit Deus. In pisces odium apperitur Venterū, & maris impulsu per fluctus circumfertur Arca, quousq; in altissimis Armeniæ montibus acquieuit. Iusu Dei prodiens statim sacra, holocausta q; ad incensas aras facit grandæuus senex, Irig; pro fœdere inter Deum et homines posita, sudore ac labore per terrā tenuem queritat victimum, repartam plantat vitem, expressoq; vino inebriatur. Cham, ingratiam et amore Iaphet atq; Sem receptis, detestatur Opus magnus Cataclysmus inscribitur. Serenissimo ac religiosissimo principi Henrico Cardinali, clarissimi Sebastiani Lusitanie, & Algarbiorū regis imperium admirabili prudentia, nec non sapientia moderanti, dicatur.

**S E R E N I S S I M O A T Q V E P R A C E L  
L E N T I S S . P R I N C I P I H E N R I C O C A R D I N A L I  
E m a n u e l i s i n u e l i s s . L u s i t a n i e , & a l g a r b i o r u m R e g i s , I n d i c i ,  
P e r s i c i , A f r i c i , Æ t h i o p i c i , d o m i n i q ; G u i n e æ f i l i o , c a t h o l i c æ f i-  
d e i v i g i l a n t i s s i m o p r o p u g n a t o r i , C a d a b a l G r a u i u s .**

S.D.



V Magerē Viennæ serenissime Princeps à non nullis, qui tunc temporis mēā ( si qua est ) doctrinam sectabantur, te audiente, atq; laudante comœdiā agi, ut tuæ sublimitati quoquo modo placerem, non alienum à mea sterili professio ne duxi, habita prius à me oratione in qua pro mea mediocritate inuictissimi patris tui egregia gesta, immortales laudes, insig nes victorias necnon glorioſos triūphos cōmemorabam. Vnumq; præcipue in gloriam tanti Regis epigramma me dixisse recordor, quod ne forte desideretur adscribam.

**M**A G NVS Alexander tumidus clarusq; trophæis,  
Vrbibus & populis captis toto orbe subacto,  
militibus fessis bello, longoq; labore,  
Venerat ad rapidum, sic, quem vocat incola Gangem,  
Et genibus flexis supplex in margine ripæ  
Constitit, & tales oculos ad sydera tollens  
Protulit ore preces, gnato d a Iuppiter Hammon,  
Terminus ut fiat spumoso vortice Physon,  
Qui mihi nunc obstat, venturis regibus, alto  
Cui patet arridens solio respondit, & inquit.  
Non dabitur cuiquam transire fluenta quoisque  
Optimus Emanuel regum fortissimus olim,  
Dulce decus patriæ, Hesperio regnabit in in orbe.  
Qui longe à tergo vīctor tua signa relinquet.  
Serviet huic Pontus, simul & Gangetica tellus,  
Quicquid Sol oriens, mediusq; cadensque, tuetur,  
Dum celeri velitur circum vertigine mundi.  
Hactenus, intremuit lucus, crinita relaxit  
Stella caput iuxta magni, re quieuit & vnda.  
Atq; alia, in quibus nostrum ingenium, quod duri & inopinati  
fregere labores, probasti, meq; indignum muneribus affecisti. Et  
nisi mortifera & improuisa pestis, corrupto cœli tractu, illo tem  
pore turbaret omnia, me tecum tulisses & domi habuisses. Sed

inimica me precipitem (ut ita loquar) trahebant fata. Sic enim  
prostrauit, sic afflixit sors miserum acerba, ut secundarem For-  
tunam nisi tu dederis qui nostrum saeculum ornas, decoras, &  
illustras (cuius preclarissimas regalis animidotes, atq; memoran-  
da facinora tam non possum praedicare, non admirari, non extol-  
lere quam tu non augere) posthac vix sperare ausim. Nunc ve-  
ro acta meliore vitæ parte, senio confectus, & cito moriturus ad  
te serenissime Princeps dulci patria, atq; natali solo relicto, tan-  
quam ad ancoram sacram & tutissimum Asylum, tua singulari  
solitaq; beneficentia, & benignitate fretus confugio. Cumque  
nihil praeter defatigatam laboribus anima, & consumptum eti-  
ate corpus habeam, postquam pro meo captu Christianissimi, atq;  
præstantissimi Regis tui charissimi fratris lamentabilem disce-  
sum desfleui, & celeberrimæ necnon prudentissimæ Reginæ Ca-  
tharinæ incredibilem, & incomparabilem dolorem (quantum  
meæ potuere vires) significavi, magnum & vniuersalem Cata-  
clysmum & hominum in pisces antiquum & manifestum odiū  
opus nouum, & a nullo, quod ego legerim, animaduersum aut  
scriptum, paucis contexui versibus Quos venerabilis nomini tuo  
tenuis homo fortunæ, & nullius propemodum consilij, audacius  
quam decuit, dicare constitui. Vigilias igitur deuotissimi clientis,  
licet regni gubernatione, & assiduo negotiorum pondere distri-  
ctus, & occupatus existas ne despice, qui nihil nisi grādia dare  
soles. Meq; in tuorū suscipias clietelam suppliciter oro, ut iuxta  
ripas Tagi, te meo Zephyro flante, tuas atq; tuorum amplissi-  
mas laudes Cygnus ego tuus quoad vixero, canam. Hoc te etiam  
pro tua egregia humanitate, & insigni clementia oro (nisi im-

probum est ) vt si qua de me apud celeberrimam Reginam Ca-  
tharinā oriatur mentio, (orituram enim scio, si velis, ) me illi  
deditissimum, & Lusitanorum regum gloriæ, & æternitatis  
studiosissimum amantissimumq; esse ostendas. Quantum enim  
apud illam tua regia sit autoritas valitura, cōpertū habeo & in-  
telligo. Quod si me apud clarissimam, benignissimamq; Reginā  
commendes, ad feliciorem fortunam redditurum, & rerum me-  
liorem statum me habiturum non ignoro. Vale. Compostellæ.

sexto Calendas Decemb. Anno, 1565.

Morituri cygni dulciter canunt flante Zephyro, sin minus expirantaci-  
ti, qua ratione cygnus pro poeta, Zephyrus pro fauore metaphoricos.

AD SERENISSIMVM, PRÆCEL  
lentissimumq; Principem Henricum Cardinalem, Ema-  
nuelis invictissimi Portugallie, & Algarbiorum Regis,  
dominiq; Guineæ, Indici, Persici, Africi, Æthio-  
pici Arabici filium, catholicæ fidei vigi-  
lantissimum propugnatorem, Cada-  
balis Grauij Ichthyotyrannis.



Vrgenus humanū pisces, et aquatica monstra.  
Oderit, et quanvis morientes littore cernat  
Ponti cultores nemo tristatur, amore  
Prosequimur naturali gradientia terris,  
Necnon & celeri volitant quæ animantia penna.  
Quæ si forte iacent morbo, miseramur, & vltro  
Auxilium ferimus, cumq; expirantia tabo  
Cernimus, irrumptit sinuosa in pectora mœror.

Euenit id contra mutis in piscibus altum  
Quos pelagus tumidis condit sub fluilibus, vnde  
Tantum odium vates domino memorate canori  
Henrico, veterum qui præfert stemmata Regum,  
Lusitanorum clarum lumeng, decusq.  
Gloria quem celebris liquidum super æthera vectum  
Tollit, & æternos merito largitur honores,  
Sancti debetur Petri cui magna Cathedra,  
Romulidæq; vocant, generosi dicite Cygni,  
Nondum causa patet longis incognita sæclis.  
Rusticanam proles tantos non pectore motus  
Concipit, ingenium dederit Natura licebit,  
Labitur, & raro sublimia facta virorum  
Degener ostentat, mentem reprimente pauore.

Non pede fraternalm pugnam, aut Marathonia gesta

Fraternam, inter vtrunq; fratrem. Etheoclem & Polynicem Oedipodis ac Iocastæ filios gestam, de quorum pernicioſa dissensione, mortiferop; prælio Statijs Thebaida lege. Marathon campus in Attica regione ab heroe Marathone denominatus, ubi Milciades Atheniensium dux Persas Artaphrene Datij, Darij, ducibus profligauit, cæsis hostium bis centum millibus peditum, equitumq; decem millibus. Lege Probum Æmilium, Herodotum, & Trogum Pomp. de Marathonia pugna.

Nec commutatas aliena in corpora formas.

Non Priami celsas arces, nec ludicra dicam.

Terrificos strepitus, hyemes, cæliq; fragores,  
Emissumq; super terram magnum Cataclysmum, Cataclysmus  
In pisces odium, latoq; natantia ponto i. diluvium  
Monstra, piumq; senem, exanimataq; corpora fluctu, a catalyso,  
Lysiadum stirpem, memorataq; prælia regis quod signifi catmergere.

*Alphonsi Henrici, quo non animosior ullus,  
Paucis attingam, quamuis mibi sorte nascatum  
Carmen, & annosum corpus vitianuerit ætas.*

*Non ego Pimplades Musas, Phœbumq; vagantem  
Corycidas iuxta lymphas, Helyconaq; sacrum,  
Cui iuvenile caput fertur Parnasside vincetum  
Lauro, sed supplex palmas ad sydera tendens,  
Altitonantis opem sanctum & venerabile numen  
Inuoco, rimosam Grauij Pater optime cymbam  
Flatibus aduersis inter Scyllam, atq; Charybdin*

Nauigantibus ab Epiro ad dextram Siciliæ partem Scylla est rupes , siue saxum, aut plenus cœurnis locus, qui a fluctibus percussus latratus videatur ædere. Ad sinistram Charybdis, quæ contrariis fluctuum cursibus collisionem facit, ruptaq; absorbet . Vesgilius. Dextrum Scylla latus, lacuum implicata Charybdis obsidet;  
*Iactatam, quacunq; furens rapit impetus illam,  
Dirige per nebulas, misera formidine pectus  
Eripe, & obscuras animo propelle tenebras,  
Omnia namq; potes, tibi magna potentia rerum,  
Et sine te factum nihil est, dominaris vbiq;.*

*Membra metu titubant, gelidus præcordia sanguis  
Suffocat, calamusq; cadit, digitiq; tremiscunt,  
Lumina languescunt senio, pudor ipse coercet  
Ingenuus, trepidam conturbant nubila mentem,  
Magnum surgit opus, nostris sed viribus impar.*

**Q**VVM pater omnipotens hominum pertæsus iniquos  
Mores, perfidiam, furias, animosq; superbos,  
Sanguineas cædes, fraudes, sœusq; rapinas,  
Omnia mortifero passim & feruentia bello,  
Terrigenas etiam cœlum affectare Gigantes,  
Quos non longua dies, virtus nec mouerat vlla,  
Armaq; terribili crepitantia sumere dextra  
Cerneret, iratus totum tremefecit Olympum,  
Ultra non passus lethalem serpere pestem,  
Constituit nimbos nono dimittere cœlo,  
Humanum q; genus fluctu exanimare marino,  
Admonito Noa, quo non præstantior ullus  
In terris fuerat, Superorum cultor & idem  
Proprietate Deum semper recolebat, & agnum  
Sanguine diuinæ supplices resperferat aras  
Illa tempestate, bonusq; piusq; benignus  
Arcam construxit trabibus tabulisq; iubente  
Omnipotente Deo rerum factore, peractam  
Ingreditur, lachrymisq; sinis madefecit obortis.

Tūc genitor Cham, & Sem gnatos Iaphetq; nurusq;  
Pandoram primum Phrygiam, Syridemq; Noelam,  
Atq; Damascenam formâ præstante Noegam,  
Vxoremq; suam Scythidem de more vocauit  
Nomine Thyteam, natam melioribus annis,  
Ex omni genere inclusis animalibus intus  
Ordine, quem clare testatur pagina sacra.  
Nam duo de non sat mundis animantibus, atq;

*Ex mundis septem domino suadente, recondit*

5

*Ipse Mathusalamides non tardus in Arca.*

*Omnibus ex æquo positis, scisq; paratis*

*Sanguinei toto rubuerunt protinus orbe,*

*Humano generi signantes fata Cometæ,*

*Pogonias, Xiphias, ac Pithus, Acontia Discus,*

*Lampadias, Hippus, Ceratas Presterque coruscus.*

Cometæ vocantur magna nubium incendia in aere hærentia, quæ a rerū similitudine nominantur. Pogonias quando scintillæ deorsum prominuntur in speciem barbæ. Acontias, cum nubes incensæ iaculi faciunt effigiem. Xiphias, quum ensis appetat similitudo. Discus, cum disci specie habet. Pithus, cum dolij forma videtur. Ceratas, quando cornu similitudinem præ se fert. Lampadias, quum figura ignis ostenditur. Hippus quando equi similitudo est. Prester nubes incensa. Carminis causa Acontia pro Aconciis, Ceratas pro ceratias hic ponuntur.

*Angelus affulgit, medioq; cacumine cœli*

*Constitit, atq; graues lituo prænunciat iras,*

*Horrendosq; sonos mundum dispersit in omnem.*

*Vix bene finierat, tenebris sunt omnia plena,*

*Sol nusquam appetet, nigrescunt cornua Lunæ,*

*Horrifica caligo, metuendaq; mortis imago*

*Aduolat ante oculos, minitantur & omnia mortem.*

*Nox tenebrosa ruit, glomerato turbine perflant*

*Eurus, Vulturinus: Zephyrus, Boreasq; frementes,*

*Quatuor ventorum cardinalium nomina Grauius vno complexus est*

*versu Quos cum regionibus vnde veniant mirè depinxit Ouidius i. Met.*

*his versibus.*

*Eurus ad Auroram Nabatheaq; regna recessit,*

*Perisiaq; & radiji siuga subdita matutinis.*

*Verper & occiduo quæ littora sole tepescunt,*

*Proxima sunt Zephyro, Seythiam Septemq; triones*

*Horriferiuasit Boreas contraria tellus*

Mathusalā atius  
fuit Nox vnde  
Mathusalamides  
patronymicum.

B Nubibus

Nubibus assiduis, pluuiisq; madescit ab Austro.  
Ventorum alij commuues, alii autem repentinae. Communis nuncupamus, qui ex certis spirant mundi plagis. Hi in quatuor formas diducuntur Arctoas, Austrinas, Eoas, oceiduas. Arctoi tres sunt, Quorum primus a Parte circuli Arctici spirat, quae prospicit occidentem, Thracias dictus. Secundus Septentrio vel Apertias a vertice. Tertius Aquilo, vel Boreas a dextro latere eiusdem circuli. Eo totidem, a solstitiali ortu Cæcias, a verno Subsolanus, vel Apeliotes, Eurus, aut Vulturnus a brumali. Austrini, Phœnicias, vel Euronotus, Auster vel Notus vel Libonotus. Occidui tres quoque Libs, vel Aphricus ab occasu hyberno, ab æquinoctiali Zephyrus, aut Fauonius, ab æstiuo Corus vel Argestes. Communibus ventis possunt addi Prodromi atq; Etesiae, quos etiam certis temporibusflare constat, Prodromi sunt Aquilones, qui Caniculares precedunt dies. Etesiae Aquilones, qui Canicule ortu ad dierum quadraginta intecpedinem spirant. Repentinos vocamus, qui neq; ex certa plaga aliqua, neque statim anni temporibus spirant, quiq; suo impetu validas evertunt turres, & nauidia frangunt. Sic appellati, quod repente orientur & repente desinant. Horum quatuor genera Procella, vel Ecnebias, quando halitus erumpens late dispergit nubem. vortex vel Typhon, quem arctiore erumpit spatio & magno in circulum Voluitur impetu. Turbo quando halitus erumpens nubem late dispergit, vt procella, sed minus alte, dictus a turbando, quod proxima quæq; perturbet. Prester quam idem fatus per acrem fertur ardens & accensus, ab ardendo cognominatus a Græcis.

*Insonuere poli, vibrataq; fulmina terras*

*Percutiunt, tremuit pontus, tellusq; debiscit.*

*Infernæ sedes, necnon Phlegetontica regna  
Apparent, lucem Pluto Manesq; profundi  
Mirantur, superaq; repulsus Lucifer aula  
Horruit, & sociæ pariter timuere Phalanges,  
Informesq; specus Herebi, noctemq; profundam,  
Limosaq; adeunt ripas Acherontis, & umbras.*

*Monstrificæ trepidant formæ, Briareaq; turba,  
Pallida Mors, Hydrae, Sphinges, rabidiq; Cerastæ,*

Harpyiae, Lemures, Centauri, & bellua Lernæ,  
 Obscœnæq; Canes, flammisq; horrenda Chimera  
 Abstinuit fremitu, & furiarum oblita suarum  
 In latebras, multo qua flumina sulphure fumant,  
 Serapit, & Stygia latuit stupefacta sub vlua.  
 Latratorq; triceps condit fera Cerberus ora,  
 Contrahit & rictus, seseq; immisit in antrum.  
 Anguibus implicitæ fugiunt & Erynnides atræ,  
 Quærentes umbras, nebulosaq; Tartara Ditis.  
 Tortile Tisiphone retro turbata flagellum  
 Projicit, ac torua colubri de fronte Megeræ  
 Alectusq; cadunt, & centipedes Scolopendrae.  
 Vector & ipse ratem, vélum, contumq; relinquit  
 Visa luce Charon, seseq; rejectit in amnem.

Duri rumpuntur lapides, littusq; remugit  
 Rauca sonans, scopuliq; gemunt, & murmurat aer,  
 Præcipitatur hyenis, rapidis micat ignibus æther,  
 Atq; Catarrhactæ, necnon & claustra polorum  
 Panduntur, sonitumq; dedere per aera tristem,  
 Terraq; fit breuiter tremula, & lutulenta vorago  
 Imbris, & magnæ mollescant ossa parentis,  
 Sternuntur messes, hominumq; boumq; labores.

Horrea cum dolis, corbes frumenta, mariscas,  
 Iuglandesq; nuces, milium, sorbasq; lupinos,  
 Lanitium & leues baculos, mulætralia, peras,  
 Pastorumque casas humiles, furcasq; tricornes.

Plaustra

Plausta, lares, cellas, connulsaque lignea tecta,  
Marmor cum tumulis, Proscenia & amphitheatra,  
Signaque cum titulis, & capta ex hoste trophyae,  
Barbarico postes auro, spoliisque superbos,  
Cypria prisorum pariterque Corinthia vasa,  
Ex auro calathos, Scyphos, patinasque capaces,  
Argentique simul pateras, lancesque rotundas,  
Mensas, quas faber mira cælauerat arte  
Cedrinas nuper, Panchros, Adamantas, Enydros,  
Lysimachos, Agathas, rubeoque colore Pyropos,  
Gorgonias, Trichros, Sabdasque, phlegontides igne  
Ardentes rutilo, stillataque Succina ligno,  
Pramnia Chrysolitos, & scrinia plena Smaragdis.  
Atque alias gemmas generat quas India diues,  
Delitias Regum, præciosaque munera matrum  
Diploidas, chlamydes, thalamos, aulæa, tapetas,  
Organa cum tibijs, cytharas, psalteria, chordas,  
Exhædras, lectos, tripodas, hipocausta, lebetes,  
Tympanaque humanas paulo terrentia mentes  
Ante suo strepitu, veterum & penetralia patrum  
Adspiceret, patulos circum raptata per agros.  
Sedula Iunonis varios vestita colores  
Nuncia dicit aquas, quarum sublata columna  
Spumantes fluuios, terras diffundit in omnes.  
Et celer Ecnebias pisces, nauesq; reuulsas  
Sorbet in excelsum, picea caligine vibrans

Longe

*Longe, nec sparsum nautas tutatur acetum.*

Plinius lib. 2. cap. 48. de vibrato Ecnephia hoc modo loquitur. Defert hic secum aliquid abruptum è nube gelida conuoluens versansq; & ruinam suam illo pondere agrauans, & locum ex loco mutans rapida vertigine præcipuaq; nauigantium pestis, non antennas modo, verum ipsa nauigia coutorta frangens, tenui remedio aceti in aduenientem effusi, cui frigidissima est natura. Idem illis ipso repercusus correpta secum in cœlum refert, sorbetq; in excelsum. Et reliqua.

*Nulla mora est, mundus (mundo pereunte) vocandus*

*Non erat, antiquumq; chaos, terrorq; fragorq;*

*Cum gemitu clamor, metus, horor, & vndiq; luctus,*

*Singultus, lachrymae, voces, v lulatus ubiq;*

*Visceribus ruptis terrarum flamina sursum*

*Tendunt, fit turbo reuolutus, Gargara, Pindus,*

*Altus Athos, Rhodope, Tmolus, Parnasus, & Othrys,*

*Caucasus, atq; Agragas, Alpes, & nubifer Atlas,*

*Taurus, & ipse Cilix, Helycon, viridisq; Lyceus.*

*Tomanusq; micans florum rutilante colore,*

*Qui centum scatebris circum rigat arua propinqua.*

*Apenninus, Erix, factusq; ad sacra Cythæron,*

*In quo Bassarides, frontem exornante corymbo,*

*Per nemora exercent saltantes Orgia Bacchi,*

*Cum repetunt choreas, vinosaq; festa frequentant,*

*Lenæosq; bibunt latices, nectarq; Deorum,*

*Inter Hamadryadum cœtus, facilesq; Napæas,*

*Rupicolasq; Deas, qui intutq; per ardua montis*

*Pampineos thyrso, sublatusq; ad sydera clamor*

*Bacchantum resonat, geminatur & Euion, atque*

Durum

Durumq; attollunt caput Acroceraunia cœlo.  
Dindimus & iuuenum palmis celebratus Olympus,  
Ismarus, & sacris vberrima fontibus Ida,  
Floriferisq; rubens latis in valibus Æmus,  
Pelion, & Cynthus, Gaurani, Milus & Ossa,  
Menalus, & Lunæ montes, vnde in mare Nilus  
Gurgite septeno decurrit fœtifer vnda,  
Assiduis Euris, imbri, cœliq; ruina  
Pulsantur, flagrat triplicatis ignibus Ætna.

Gargara. Phrygiæ montes. Pindus, Thesaliæ mons. Athos, Ma-  
cedoniæ celebratissimus mons. Timolus, Lydiæ mons croco floren-  
tissimus. Parnasus mons in Phocide regione. Othrys, Thesaliæ  
mons in Macebonia. Caucasus, mons longe porrectus per Indos.  
Aragas Siciliæ mons generosis abundans equis. Alpes, montes inter  
Italiam Galliam ac Germaniam. Atlas, Mauritaniæ mons in Aphri-  
ca, vnde atlanticum mare. Taurus, mons Asiæ ad occulum porrectus.  
Cilix, Ciliciæ mons in asia. Helicon & Cythæron Bœotiaæ montes Mu-  
sis Bacchoq; sacri, ab Helycone, Cytheroneq; fratribus illic pugnatibus sic  
dicti. Dindimus Asiæ mons. Lycaeus, arcadiæ mons. Apé-  
ninus Italiaæ mons. Erix Siliciæ mons sic nominatus ab Eryce vene-  
ris filio, ab Hercule illic pugna superato. Lege Verg. 3. Aeneidos  
Bassarides Bacchi sacerdotes, a bassara veste talari dictæ. Corymbus  
Hederæ fructus. Orgia Bacchi præcipue sacra ab orge hoc est a fu-  
re dicta. Latices lenæos, id est torcularis ubi exprimitur vinum.  
Nectar deorum potus, qui super frondes arborum noctu cadit, mel s mo-  
do. Hamadryades, arborum Deæ. Napææ, fontium nymphæ  
Thyrsos id est hastulas. Euion, bonus filius. Rupicolæ Dex. i. Ore-  
ades montium & rupium habitatrices. Acroceraunia, Epiri montes ful-  
minibus infestati. Tomanus, Chaoniæ mons centum fontibus circa radi-  
ces celebratus a Theopompo. Olympi plures fuere montes sic dicti.  
sed qui diuidit Macedoniam a Thracia magis celebratus est in Thessalia.  
Olympus grece dicitur omnis mons altior in quauis regtione, mons enim  
sic dictus est ad mare rubrum, in Peloponeso, in Cypro, in Lesbo, in Asia,  
in Gallogrecia in Mysia, & in Lycia Olympicus, aum quod ad olympu-

speciat

spe&at Iſmarus Thraciæ mons, Ida mons est phrygiæ a poëtis & o-  
 ratoribus decantatus. Aenius mons inter Thraciam & Theſſaliam.  
 Pelion Theſſaliæ mons Cynthius insulae Deli mons. Iſmarus, Thra-  
 cie mons. Milus, in India mons est. Oſſa, mons in macedonia Thela-  
 liæ. Lunæ montes ſunt in Aphrica meridie in versus in lquorum ſum-  
 mitate ſunt ingentes paludes ex quibus oritur Nilus. Oſtia Nili, Aphri-  
 cam ab Asia diuidentis celebrata ſunt ſeptem, ſcilicet, Canopicum, Bolbi-  
 ticum, Sebenniticum, Phatniticum, Mendelium, Taniticum, Pelusiacum.  
 Lege Plinium lib. 5. cap. 9. & 10. per totum. Tagus Lusitanæ flu. aurifer,  
 inter Lusones Celtiberiæ populos ortus iuxta Toletum labens, cuius  
 aquæ potus non ſolū ſaluber eſt, ſed etiam vicinos agros fertiles reddit  
*Crustumium, Euphrates, Durius, Pactolus & Hermus,*  
*Chrysophorusq; Tagus, ripa ſpatiosus amœna,*  
*Qui quacumq; fluit, præpingues efficit agros,*  
*Alipedum generator equorum, fertilis auri,*  
*Dives frumento, atq; oleo, Bacchiq; liquore,*  
*Agmine qui leni Bethleemica littora lambit,*  
*Lusitanorum & regnum, monumenta tuetur,*  
*Qua Lertiadæ muro fundata vetusto*  
*Mœnia cernuntur, toto celeberrima mundo.*  
*Gallus, & anfraſtu riparum incuruus Oaxis.*  
*Eridanusq; ſenex labens per pinguia rura,*  
*Vortice qui ſolus, Solis decurrit in ortus,*  
*Et Phaeton tæos vultus, crinemque flagrantem,*  
*Et trifido corpus percußum fulmine lauit,*  
*Iuxta quem Cygnus Lygurum qui rexerat oras,*  
*Populeas inter frondes umbramq; Sororum,*  
*Dum gemit, & easum miserandi luget amici*  
*Infelix, hominis formam mutauit, & alas*

Sumpſig

Sumpit olorinas, tacitusque per aera fugit.

Corniger & Silius, montem qui perforat vndis

Obiectum vitreis, diuus quā sede Michael

Fulget in aurata, quo non piscesior ullus

Influit in Minium. Gendos, Crynis, Arnus, & Astron.

Bilbilis, atque Calybs gladijs ferroque rigorem

Addentes, Tanais gelidis de montibus ortus,

Qui torpentem intrat pigro Maeotida fluctu.

Vndosusque Liger, Rhodanus quoque, Pamber, Araxes,

Quique per arua gemit Macedum spumantibus vndis

Axius, & flaua Bætis præcinctus oliua.

Arbis, & Alpheus, qui altum subter mare puras

Seruat aquas, Siculaque latens perfundit in oras

Fonte Arethusa tuo, sacratus Tormis, Hydaspes.

Dardanus, & Lycus, Peneus, placidusque Lycormas

Inachus, Apidanus, Nar, Ebrus, Tybris, Orontes,

Cum Xantho Minius, Tygris, Ladon, Arar, Indus,

Et qui Cappadocum magnis torrentibus auctus,

Insignes vrbes late discriminat Iris.

Populiferque Melas, Eurotas, Phasis, & Ister,

Qui fluuijs sexaginta feruens tumet, atque

Euxinum in pontum se per sex ostia fundit.

Thermoodonque rapax, Ganges, Hypanisque, Caicus,

Rhyndacus, Eurotas, Phœnix, Amphrysus, & Eas,

Mincus, & celeber gelido cum Strymone Monda

Palladia sylua cinctus, qua prata Pyrenes

Alluit

*Alluit Herculidos, proprijs revolutus in vndis.*  
*Quig, recurvatis Mæander flexibus errat,*  
*Herbifero niueos ac margine pascit olores.*  
*Pingius & Margis, Timachus, Nigrisq; Drauusq;*  
*Pantalias, Rubiconq; rapax, et Lima vadofus,*  
 Gallus flu. Phrygiæ, vnde Galli dicti Oaxes flu. Cretæ Insulae. Eridanus flu. Italiae sic dictus ab Eridano. Solis filio in eum præcipitato, qui vulgo Phaeton appellatur. Inter Sydera iuxta Cetum seu Balenam, quod solus fluuiorum omnium ad orientem currat, collocatus est. Silius flu. Legonis per Gallæciam fluens, is iuxta diui Michaelis templum, subter montem labitur, duorum miliarium spatio: quod Romanorum industria non natura factum imperante. Nerua, ex Bilbilis pontis antiquissimis literis appetet. Piscosior anguillis, lampetris, salpis, squillis, turturib; q; redundat. Gendos, Crinis flu. Bithyniæ. Arnus flu. Florentiam Pisamq; præterlabitur. Astron Æolidis regionis flu. Mæotis est palus siue lacus Septentrione in versus, Tanain amnem ex Riphæis montibus defluentem, nouissimum inter Europam Asiamq; finem accipiens. Liger siue Ligeris, Gallæ lugdunensis flu. Rhodanus flu. est Narbonensis prouinciae in Gallia. Pamber flu. Gallætiae, non procul a Compostella labens. Araxes flu. Armeniæ maioris. Arbis, Gedrosiæ fluuius Oritas ab Indis disternans. Alpheus flu. Eliidis in Peloponeſo. Ige Plini. libro 4. cap. 5. Arethusa fons Syracusius, cuius ore effunditur Alpheus. Ver. Aene. 3. Tormis flu. Hispaniæ Musis facer, qui iuxta Salmantinos labitur muros. Hydaspes flu. est Medorum in Indum influens. Dardanus flu. Mœsiæ, siue Misia in Asia. Lycus est flu. in Syria Phœnices, & Ioniae in Asia, & in Cypro, in Cilicia regione, in Asiria regione, atq; in Sarmatia Europa. Peneus flu. Thessaliam apud omnes Lyceomas, siue Euenus flu. Ætoliae in Europa. Inachus in latere Peloponnesi labitur per agrum Argium in Argolicum sinum. Apidanus flu. celeberrimus in Thessalia. Mæander flu. Lydiæ. Nar flu. Italiae. Ver. Sulphurea Nar albus aqua. Ebrus Thraciæ flu. nascitur iuxta Adrianopolim in monte Rhodope, labiturq; in Ægeum mare. Tybris flu. Italiæ celebratissimus ab Apennino defluens, qui Romanam mundi capit, atq; dominam præterlabitur. Orontes flu. Syriae Antiochenæ. Xanthus flu. in Troade regione, & in Cilicia. Bilbilis atq; Calybs Galacie fluuij quorumqua ferrum ad bella temperabatur, teste Iustino.

C Minius

Minius flu. Gallæcia piscofissimus, sic dictus a minii copia. Tygris Ar-  
meniæ flu. notiss. Ladon Arcadiæ, & Antiochiæ flu. Arar Galliæ  
Narbonenfis flu. Indus flu. Indorum, a quo India appellata est ab inco-  
lis Sandus vocatur, in iugo Caucasi montis (quod Paropamissus appella-  
tur) aduerlus Solis ortum effusus, unde origini recipit annes. Pli.li.6 c.19  
Melas flu. in Pamphylia, in Arcadia in Arabia felice, in Beotia, in Thracia  
omnes sic dicti a nigredine, quasi Melas potamos. Eurotas flu Laco-  
niæ, in Peloponneso, & Thessaliæ in Peneum influens. Phafis flu. est  
Æstæ in Colchide regione. Ister flu. idem qui Danubius dicitur, cuius  
ostia sunt sex, scilicet ostium Peuces, Naracustoma, Calistoma, Pseudo-  
stoma, Boreostoma, Spireostoma. Thermodoon flu. Themiscyræ quæ  
Cappadociæ regiunctula est Amazonum sedibus nobilitatus. Ganges,  
is & gangetis, Indiæ maximus flu. qui vniuersam secat Indiam, secum au-  
reas arenastrahens, alio nomine Physon dictus, Hunc sacræ literæ inter-  
eos annumerant, qui de terræstri Paradiso profluunt, Nascitur in Scythî  
æ montibus, atq; triginta amnes accipit. Minima Gangis latitudo per oc-  
to millia passuum, maxima per viginti patet, altitudo vbi vadoissimus  
est, centum pedum mensuram implet. Dictus Ganges a Gange Æthiopû  
rege. Hypanis flu. Sarmatiæ per Hylæos fluens. Caycus flu. Æoli-  
dis ortus ex Mysia. Rhindacus flu. Troadis. Eurotas flu. Laconiæ  
in peloponneso. Phœnix, & Amphrysus fluuij Thessaliæ. Æas flu.  
Epiri in Adriaticum mare influens. Mincins flu. Italiae. Strymon  
flu Thraciæ. Munda Lusitanæ flu. Conimbricam præter labens.  
Pingius, Margis, Timachusque fluuij Mæsiæ. Nigris flu. Aphricam  
ab Æthiopia disternat. Drauis Pannoniæ flu. in Danubium fluens.  
Pantagias flu. Siciliæ. Rubicon flu. est Italiae. Lima, quem Romani  
Lethen appellauerunt, flu. Gallæcia, qui per Lusitaniam quoque labitur  
vñque ad Viennam, vbi mari miscetur.

*Annes & reliqui, fessas qui erroribus vndas*

*In vaga deducunt per raucas littora rupes,*

*Retro vertuntur, valles, montes, iuga, sylvas*

*Opperiunt, genibus deflexis talia Noam,*

*Summe Pater vasti feruit cui machina mundi,*

*Qui regis imperijs cælos, mare, sydera, terras,*

*Omnia qui nutu firmis Elementa locasti*

*Limitibus*

Limitibus, seruatis quid bonitate meremur,  
Gnatos atq; senem, sociamq; nurusq; precantes,  
Sic fatus Regum dominum prostratus adorat.

Soluerat interea rapidos de carcere ventos  
Æolus, abruptis saxis, & pondere montis,  
Effunduntur aquæ, octauus quas sustinet orbis.

Octauus orbis, id est octauum cœlum, quod firmamentum appellatur,  
quod in eo firmatæ sint stellæ, hoc est fixæ, siue quod quadam certa confirmatione substineat superiores aquas, quæ supra cœlos sunt, ex quibus nonus conficitur orbis, qui ob id cœlum cristalinum vocatur. Vnde in sacris literis Deum aquas ab aquis diuisisse, in medioque firmamentum posuisse, atque in vniuersali Diluvio catarractas cœli apertas fuisse legimus.

Ex Barathro manant fontes, reseratur Abyssus,  
Præcipitant nimbi, Pluiae & commixta procella  
Grandine, & horris onos nubes soluuntur in imbræ,  
Implenturq; caue fossæ, puteiq; patentes.

Intumuerit lacus, limosaq; stagna, paludes,  
Imæ conualles, crescit mare, flumina crescunt,  
Fitq; repente fragor, totisq; tonitrua terris  
Audiuimus mortale genus, pallorq; timorq;  
Inuadunt miseris, tristantur pectora, latus  
Omnia pontus habet, merguntur mœnia, colles  
Frondentes vrbes, & eremo structa facella,  
Depressæq; iacent, liquido sub marmore turres.

Hic petit ætherei saxosa cacumina montis  
Cursu defessus, socia gnatisq; relictis.  
Occupat hic saxum, scopulo sedet ille rotundo,

Arboris hic truncum scandit, ramoq; recurvo  
Pendet, & hic cymbam remis velisq; gubernat,  
Et super immersæ moribundus culmina villaæ  
Nauigat infelix, densam tenet anchora syluam.  
Et vagus antiquos quærebat nauita portus,  
Nec miser optatos intrabat deniq; portus,  
Insula nulla mari, nec promontoria, tandem  
Nullus erat portus, deerant quia littora ponto.  
Atq; alius vebitur tonsa sine, l'ntre recurua  
Vociferans frustra, quis enim succurreret illi?  
Aut ferat auxilium extremo, miseroq; periclo?  
Hic mouet insanos per fluctus brachia, buxo  
Pallidior citius moriturus, at ille per altum  
Voluit exanimis rursum, pronusq; recurrerit.

Ecce Rhodo rapitur centum ratis obsita remis Chrysidis re-  
Per medios Euros, pluuias, variosq; tumultus, ginæ atq; gna-  
Toto nota mari, ferroq; resecta carinam, torum mise-  
Instar montis, ebur puppim, proramq; resulgens, rabilis casus.  
Purpura cum argento & subfellia picta tegebat,  
Nomine Centaurus, Lacedæmone facta larice  
Iunipero, Cedro Quercu, rigidog; Laburno,  
Castanea, Ceraso, Cornu, Terebintho, Oleastro.  
Quam rex Antandrus paulo construxerat ante,  
Exuuijs bello partis, qua vellere Phryxus  
Impositus fuluo venit per cœrula, quaq;  
Littora curua Phrygum late, Thracumq; patescunt.

Isq; libens

Is. f. Rex An-  
tandrus . pa-  
tru . f. Argo.

*Isq; libens dono patrueli miserat, hostes  
Pelleret ut portu, & bellum exitiale moueret.  
Milleq; naucleri, (quos saeva pericula nunquam  
Terruerant mortis, motus non flamine gurges)  
Intus depensi validis pro viribus ipsam  
Contra ventorum flatus, hyemesq; furentes  
Ducere, (sed frustra pelago superante laborem)  
Inter se proni magno molimine certant.*

*Mons præruptus aquæ surgens per nubila nautas  
Corripuit Pharios, religataq; vela ceruchis,  
Transfra, foros subito, tortosq; ex cannabe funes,  
Remos, antennas excusso puppe magistro,  
Et malum ex hebeno confregit feruidus austus.*

*Vertitur in gyrum retro furiata sonante  
Vulturno circum, laterum compage soluta,  
Perq; repentinis saltus, motusq; nefandos  
Truditur, & casu non arte nec ordine currit.*

*Qua regina tremens tumefacta per æquora fertur  
Turbine, qua tumidi montes voluuntur aquarum,  
Nomen Chrysis erat, generosi pectoris Argo  
Coniuge defuncto, gnatis comitata gemellis,  
Parvus vterq; puer, nec adhuc compleuerat annum.*

*Infelix mater (nullo solante timorem)  
Sola relicta panet, gremio blandisq; lacertis  
Sustinet, atq; suis mammis lactabat vtrunq;  
Certa mori. Boreas alto de cardine mundi.*

Forte ruit

Forte ruit præceps, nauemq; repellit in altum,  
Quæ densum non solum haufit de nubibus imbre,  
Sed maris vndosi cumulos accepit amaros.

Tunc genitrix cernens postremum accedere fatum,  
Ingemuit misere, tunicam zonamq; recingens alias tempus.  
Effudit lachrymas, puerofq; ligavit vtring,  
Ad latus, & niqueos humeros nudata supinas  
Ad cœlum tollens palmas, o pignora dixit,  
Pignora chara mihi, quoniam mors dura propinquat,  
Fataq; nos vrgent, Iuncti moriamur ad vnum,  
Non viuens fugi vos, nec moritura recedam,  
Ibo simul, genitos & matrem hæc zona reponet  
Rupibus in summis, altoe cacumine montis.  
Inuentos aliquis motus pietate parentis  
Auferet ex cæno, tumulog; reponet eodem.

Non mihi vestra licet producere funera pompa  
Regali, vt decuit, tonsos nec ferre capillos,  
Hoc vnum possum vestros gustare dolores.

Officium matris nondum sentire potestis,  
Quod si sentiretis, mors mihi mollior esset.  
Torqueor hoc etiam, & letho crudelius angit  
Hic furor, in luctusq; animum dat, & vrit amantem. i. furio  
Inualidæ languent vires, oculiq; trementes sus dolor  
Caligant vobis, morientes occupat artus  
Frigidus (heu) sudor, certatim spiritus intus  
Palpitat, impositamq; manum propussat ab imis

Pectoribus

Pectoribus, genuitur vos mea viscera gnati?  
 Hei mibi, quæ fueram Rhodiorum gloria luxq;  
 Inuictiq; ducis coniux, genitrixq; duorum,  
 Vno quos genui partu vix nubilis, at nunc  
 Perdita lethifero (quid enim mea vulnera celem?)  
 Tabesco luctu, forti viduata marito,  
 Qui Cyprum, & Lesbon, claramq; Amathunta metallo,  
 Dian, Strongilen, Naxum, Cynaram, Pholegandron,  
 Antandronq; Samon, piscatibus Icthyoessam  
 Notam, Phœnicen, Polyægon, Byblida, Syrnon,  
 Candentemq; Paron, fœcundam & melle Calidnam,  
 CrambusSAM, Mycalen, Chalcen, Salamina, Cyclopem,  
 Callipolin, Thian, & Carpaton, atq; Plateam,  
 Athræam, Pyrrhen, Chariadnen, cumque Zacintho,  
 Ascaniam, Patagen, Agatussam, Mnoida, Cythnon,  
 Callisten, Pathmon, Phylen, Scyronque Gereftum,  
 Igneque Pyrpilen celebratam, Cauron, Epagrin,  
 Dulychium, & Gyaron quondam expugnauerat armis.

Adriacosque sinus penetrauit classe, leonis  
 Marmorici teclus spolio, radiate machera  
 Succinctus, capulum cuius decorabat hyaspis.  
 Sparthanosque duces, Cretum, Cilicumque Tyrannos,  
 Acri vectus equo peperit quem Aquilone Podarge,  
 Nutritum in dumis polycantho & lacte ferino,  
 Qui color est auro, maculis distinctus & albo,  
 Cornipedifuerat, Brontes cognomine, matrem

Atque

Atq; patrem celeri solitus præuertere cursu.  
Compluresq; alios patrijs superauit in aruis  
Pugnando contra, nec eo contentus inermis  
Nonnullos etiam sub frigida Tartara misit,  
Horribilis bello, festa sed pace quietus.

O vtinam coniux nobis quoq; dulcis adesset,  
(Quem breuis vrna capit lachrymis madefacta dolentis)  
Naufragium vt commune leuaret damna tuorum,  
Quos rapit vnda maris, casus male torquet acerbus,  
Et tres qui fluctus, quatuor conuolueret idem,  
Atq; idem tumulus tegeret, sed funere felix  
Conderis inter auos, defunctiq; ossa quiescunt,  
Felix morte tua es, nec territat vndiq; pontus  
Mentem, nec stridor tenebrosa in nocte rudentum.

Nos procul a patria rapida iactamur in vnda,  
Vnda ratem pellit, ventusq; per alta fatigat  
Cærula, desertæ penitus præcordia torpent  
Rebus in afflictis, nec spes est vlla salutis.

Nam modo Tartareas (quoties subsedit ad ima  
Horribilis fluctus) miserandi adlabimur umbras,  
Interdumq; tumens ventis tollentibus æquor,  
Tollimus in cœlum, cœlum tonat omne boatu.

Insula sacra vale Soli gratissima tellus,  
Insula chara mihi vocitata Corymbia diues,  
Regia clara nimis rerum pulcherrima Linde,  
Quam exornat Lycij templum admirabile Phœbi.

O Ialyse

Ialysoea

demq;

Rhodos.

O Ialyse meos in eaque condis amores  
 Rupe sub aeria, resonant ubi saxa repulsi.  
 Rhodos dicta fuit antea Ophiusa, Asteria, Aethraea, Trinacria, Corymbia  
 Pœessa, Atabyria ab rege. Deinde Macria, & Oloesia. Rhodos habita tribus  
 vrbibus. Lyndo, Camiro, atq; Ialyso. Lege Pli. lib. 5. cap. 31. Nunquam  
 cœlum tantis nubibus obducitur, ut Rhodi Sol non cernatur. vnbe Insula  
 la sacra Soli dicitur. Lege Pli. lib. 2.

O natale solum, dulcissima patria non te  
 Sublimi post hac Regina ex arce videbo.  
 Sol miserere mei, simul & miserere meorum,  
 Quanquam non reddis iam publica lumina mundo,  
 Nubibus & densa caligine tectus, ab Orco  
 Eripe nos genitor, non hoc inimica precatur,  
 Sed tua quæ nuper venerabam templasacerdos.

Vix ea, quum nauis fluctu submersa reliquit  
 Cum genitis matrem gemebundam, & plura parantem  
 Dicere. cui se mox hominum delphinus amator  
 Supposuit, tenuitq; tribus sub noctibus ipsos  
 In columnis dorso natitans, totidemq; diebus.

Quod Delphini hominum sint amatores naufragosq; dorso vehant testa  
 tur Pli. lib. 9. cap. 8. & Aulus Gellius in Arionis historia. Ouidiusq; dicens

Inde fide maius tergo delpina recurvo,  
 Se memorant oneri supposuisse graui.  
 Ille sedens cytharamque tenens, preciumq; vehendi  
 Cantat, & equoreas carmine mulcet aquas.

vnde non est mirum Chrysidi fluitanti auxilium tulisse delphinum.  
 Insulæ, quas regina Chrysis paulo superius commemoravit, Asia, Pamphylia, Rhodo, Samo. Chioque adiacent neque procul distant. Plinius libro 5 cap. 31. per totum.

Tempore quo pueri summissas ore querelas

D Funde

Fundebant tremulo, mortem sensisse putares  
Laetèq; consumpto, materno sanguine tandem  
Viunt, postremo siccato pectore mater  
Illac brymans ambos lachrymis de corde reuulsis,  
Iam ferme exhalans animam pascebatur, at ipse  
Quarta luce graui defecit pondere vector  
Expirans: omnesq; statim fluitare parumper  
Cœperunt, Chrysis gnatos complexa vicissim,  
Oscula partitur miserabilis inter vtrinque,  
Sollicitosq; suo iactantem pectore questus,  
Protinus absorpsit latraanti gurgite pontus.

At reliquæ matres morituræ, parua suorum  
Corpora gnatorum retinentes vbera circum,  
Exhalant animas, medijsq; in fluctibus Austro  
Versantur pluvio (sic fata tulere) per vndas.

Quumq; fretum miseros vnda retrahente voraret,  
Scilicet immersis vtilis dabat alga sepulcrum,  
Condunturq; alijs Scopulos, cautesq; malignas  
Subter, non pauci bibula tumulantur arena,  
Obscenoq; luto, stabulisq; cadauera regum  
Deformata iacent iuxta præsepia, putres  
(Prob dolor) inter equos, & turpes inter asellos, alias pudor  
Tardigradosq; boues proprio fine nomine . nullum  
Mors discrimen agit, tanta est violentia Fati.

Ingentes Vrsi, Ceruiq; Lupi, rapaces.  
Dorcades, & Tygres, Capræ fuluiq; Leones,

Epiphonema

Setigeri

Setigerigaeis, M. oles jortesq; Bisontes,  
 Sylvestres Apri, Pardicum Cercopithecis  
 Capripedes Satyri, Panes, Fauniq; bicornes,  
 Cornigeriq; Boues, Vulpes, & Rhinocerotes,  
 Viuerræ, Feles, Martes, Taxiq; fugaces,  
 Pantheræ, Lepores, Mures, vigilesq; Molossi,  
 Barri & Sturcones per cœrula summa feruntur.

Maxima turba Canum, atq; hominum miseranda propago  
 Itq; reditq; salo, toto reuoluta profundo  
 Corpora torquentur mixtim (miserabile visu)  
 Glaucus cum Phorco, Inous, Melicerta Palæmon,  
 Fluctiuagæs q; premens Ballenas viribus horrens  
 Ægæon, pugna nunquam superabilis vlla,  
 Doris cum gnatis, Thetysq; corallia vellens,  
 Et placido Nymphæ vultu, Galatea, Sorores  
 Lamprothoe, Glauce, Dotoq; Biroq; Pherusa  
 Callirhoe, Drymo, Xantho, Spioq; Thalia  
 Dulce canens, Melite virgo, Panopeque, Ephyreque  
 Ciddippe, Beroe, Chymene, gracilisque Ligæa  
 Doctior & piætis caput exornare corollis  
 Anthis, mox Hyale, atque Thoe, & nitidissima Crene,  
 Congestæque Rhoë, Dryope, Botaneque capillis  
 Omnes cœruleis, albis in vestibus omnes.  
 Et fallax Proteus, pelagi Rex ipse proterius  
 Inuectus viridi currus fæuoq; tridente  
 Innixus, Nereus redimitus arundine crines

D<sup>r</sup> Glaucæ

*Glaucæ, etiam varijs vœctæ Nereides ibant  
Prælato Tritone feris, totumque videres  
Misceri ante oculos circum salientibus vndis  
Oceanum.*      \*      \*      \*

*Thetys Oceani coniux.      Maris Nymphæ Nereides dicuntur Nerei  
Oceani filij, & Doridis vxoris filie.      Montium Oreades.      Syluarun,  
Dryades. Quæ cum arboribus nascentur Hamadryades.      Fontium Na-  
pæ vel Naiades.      Pratorum Hymnides appellantur.*

*Altaque Physeter fluctus iaculatur ad astra,  
Et vacuas curui se se Delphines in auras  
Iactant, horrendumq; sonant super æquora venti.  
Immanesq; Rotæ, Phocæ, Zophijq; timendi  
Nauibus, atque Orcæ, Pristes, Polypique voraces.*

*Physeter marina bellua incredibili magnitudine, quæ haustam faucibus  
aquam in altum tanta copia vomit, ut veluti densissimus quidam imber  
decidat, sic Graecæ dictus a profundi aquis. De Delphinis alibi dictū est.  
Admirandæ magnitudinis super mare imminentे tempestate animalia  
quæ ob similitudinem Rotæ vocantur, visuntur. lege Pli., lib. 9. cap. 4.  
Phocæ Vituli sunt marinæ. Zophij rotundæ sunt Balenæ in septentri-  
onali Oceano, corneo & acuminato capite, coriaceum, galerum super o-  
culos habentes qui nihil quum caput attollunt cernunt, aliter omnia sub-  
uerterent nauigia. Orcæ sunt marinæ belluae Balenæ infestæ. Pristes  
longissimæ belluae vndarum sulcatriæ. Polypi vor. quia se ipsos ero-  
dunt in fame, vnde proverbiu, Me ipsum, ut Polypus,edo.*

*Thynnique incurvant ramis, atque ardua pulsant.*

*Vmbriferas Platanos, Aceres, Palmasque triumphis,  
Percelebres, Corylos, Tiliæ, Vlmosque racemis  
Incuruas, Salices, Ornos, altasque Cupressos,  
Antiquas Quercus, Lauros, Alnosque palustres,  
Et patulas Fagos, Lotos, Oleasque, Nucesque,  
Robora, Lentiscos, Piceas, Spineta, Myricas,*

*Impeti*

*Impete prosterunt, seque ad sydera tollunt.  
Agmine tunc facto turres, vrbesque opulentas  
Intrant, deturbantque Deos altaria iuxta,  
Cinctutosque Lares fœdant, lacerantque Penates,  
Donaque diripiunt templis sacrata vetustis.*

*Inde per immensos montes, collesque supinos  
Insultant, ludunt, totumque vagantur in orbem,  
Orbeque submerso laetos duxere recursus,  
Atque per Europen, Asiam, Libyamq; reuertunt  
Orcæ, Balenæ, Pristes, & grandia Cete,  
Quæ Lyncas, Raphiosq; Thoes, volucresque natantes,  
Sphingas, Pantheras, Apros, genus omne ferarum,  
Cumque Leontophonis, Vitulos, Elephantas, Hyenas,  
Cum pueris miseris iuuenes, mæstosque parentes,  
Commixtas nuribus matres, tenerasque puellas.  
Corripiunt, frangunt, laniant auideque trucidant.*

*At Sparuli, Thressæ, Sargi, Trichæque nitentes  
Scombricum Salpis, Plotis, Tritonibus, Orphis,  
Torpedo, Raiæ, Rhombi, Meruleque virentes,  
Cercyri, Tragi, Scauri, Glaucique minores.  
Atria nobilium capiunt, retinentq; frequentes,  
Perque domos errant nullo prohibente, vorantque  
Castaneas, glandesque, fabas & dulcia poma,  
Mellaque cum tenui prægustauere polenta.  
Euertuntque toros, Mensas, Epigrammata, chartas,  
Historias priscas veterum monumenta virorum,*

*Quænunc*

*Quæ cum Smyrnæis possent contendere plectris,  
Smyrnæis plectris id est Homericis studijs, nam Smyrnus quodque dicit  
us est, de cuius patria incerta versiculus vulgo iactatur.*

*Septem vrbes certant de stirpe insignis Homeri  
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.*

*Corripiunt rabido repetentes dente, deinde  
Conuertunt cursum iu fruges, alimentaq; nostra,  
Et breuiter spoliant agros, hortosq; feraces.*

*Præcipitum pariter Zephyris genus omne volucrum  
Per mare iactatur, fluctuq; immergitur alto,  
Quas Congri, Lutræ, Fibri, necnon Crocodili  
Concerpunt nantes, subitoq; in viscera condunt  
Certatim, & breuiter perijt genus omne volantum, vol. auium  
Paucis exceptis genitor quas clauserat Arca.  
Si qua tamen potuit nauis superesse periclo,  
Immitiq; Austro, mergunt exotica monstra.*

*Res noua mirantem, genitis, nuribusq; timentem  
Perculit ecce senem, & male prouida pectora turbat.  
Insula Delus adest ventis agitata per altum  
Cognita per portus, longis onerata colubris.*

Delos Cycladum media est Apollinis templo, & mercatu celebrata,  
quæ diu fluctuata sola terræ motum non sensit ad Marci Varronis ætatē.  
Mutatus bis concussam prodidit. Aristoteles ita appellatam ait, quoniā  
repente apparuerit enata. Eglosthées Cynthiam, alij Ortygiam, alij Aste  
riam, Lagiam, Chlamydiam, Cynetum, Pyrpilen igne ibi primum reper  
to. Cingitur quinque Millibus passuum, asburgit Cyntio monte. Prop  
ter eius fluctuationem serpentibus oneratam tempore diluvij quoque  
fluitasse, poetico more fingit Grauius, non illepede tamen.

*Qui procūl aspectam cupientes scindere puppem,*

*Et caput*

*Et caput indignum Noce maculare volentes,*

*Protinus attollunt ardentia lumina cœlo,*

*Stridulaq; emittunt exertis sibila linguis.*

*Ortygiam (heu) Aquilo plenam serpentibus atris*

*Arcæ coniunxit, miserum est narrare profecto, prof. pen br*

*Inuadunt omnes, tectum & perrumpere tentant*

*Horrifico stridore, senex perterritus adstat*

*Saxo frigidior, fer opem Rex maxime Diuum,*

*Terrarumq; hominumq; salus, cui sydera parent,*

*Quem metuunt reges tenebrarum, & Tartarus ingens,*

*Dæmones horrescunt cuius nutum, atq; flagellum.*

*Vix prece finita, supera descendit ab arce*

*Angelus horrisono lapsu, gladiumq; retorquens*

*Fulmineum, valide serpentum & vulnerat ora,*

*Lubrica terga simul, rictus dentesq; minaces,*

*In mare præcipites saliunt, Delumq; requirunt*

*Tabifici Sepes, Cenchres, caput Amphisibena*

*Cui duplex, duplicitq; refundit ab ore venenum.*

*Chersydri, Iaculi, atq; Hæmorrois, Aſpis, Ophites,*

*Et liquidae Nartex vnde corruptor, Ichneumon,*

*Atq; nocens oculis Basiliscus, Vipera, Dipsas,*

*Scorpius atq; horrens Chelis, viridesq; Lacerti,*

*Cæciliæq; boum pestis, longique Dracones*

*Ammodites, Scytale, Præster Libycusq; Phareas,*

*Lethiferi Eumenidum crines, & Gorgonis angues,*

*Gorgones filiæ Phorcis tres fuerunt, Euriale, Stheno, Medusa, Erant his*

*capita*

capita draconum, scammis & serpentibus obsita. maximi dentes, suum instar, ad hæc manus & alæ, quibus per aere in tenebantur. Adebat insuper ea vis, ut obtuentes sese, in faxa verterent. Porro sola Medusa e tribus mortalis erat. Hanc igitur impetivit Perseus. Et oculis defixis in æreum clypeum, per quem tamen ipsam Gorgonis imaginem aspiciebat, manum porrigena, quam Pallas in Medusam dirigebat, caput defecuit, ad uolantes reliquæ duæ sorores, Perseum quidem insequebantur, verum cum illum ob galeam Plutonis videre non quirent, abidere retro. Victorq; Gorgonis caput Palladi, galeam Mercurio dedit. Lege Zenodotum.

Serpentesq; aliae, quarum per nomina curro,  
Indomitas proflant iras, nigramq; Mephitim  
Guttura pestifero effundunt, reuomuntq; resorbent  
Albentes spumas, strepitatq; reflatisbus vnda,  
Inq; breui spatio fluctus submersit in ima  
Æquora, namq; procul discesserat insula Coro.

Nuncius his actis, Noa spectante, manusq;  
Attollente suas, celeri petit astra volatu,  
Serpentes odit genitor, deceperat Euam  
Serpentis forma Dæmon, cathedrisq; beatis  
Expulerat patrem, quem nos vocitamus Adamum.  
Auricoris misere compulsum mandere fructus,  
Carpere quos vetuit, sacratae conditor arcis.

Tunc aliis misero terror nocet ecce parenti,  
Multiuagæ nam arcæ, fluitantes Hippothalassi  
Fulminibus saevis, ac in sua colla recuruis,  
Auribus arrestis oculisq; rubentibus igne,  
Infræno cursu, & sinuosis flexibus hærent.  
Non habet Europe tales, fert India lucis  
Bobus maiores, cælo capita altaferentes.

Quos quia

Hippotha. Equimarini, quos orientalis India fert, sunt autem animalia amphibia, hoc est in mari & terra viuentia. Bobus lucis, id est Elephantibus. Plin. lib. 8. cap. 6. Elephantes Italia primum vidit Pyrrhi regis bello & Boues Lucas appellauit, in Lucanis visos anno urbis quadringentesimo Septuagesimo secundo.

*Quos quia non Senior prospexerat ante timore*

*Corruit attonitus, gnati sparsere iacentis*

*Rore leui vultum, potumq; dedere salubrem.*

*Percupidos cædis ventus dare terga coegit*

*Pugnantes contra, & longe, lateq; remouit.*

Cum altus ab axe ruit Boreas furit Eurus ab ortu,

Soleq; de medio Auster flat, Zephyrusq; profundo.

*Qua vehitur Noam, gnati, coniuxq; nurusq;.*

Turbine ventorum per fluctus voluitur Arca.

Nempe super Tybrim, Euphratem, Simoentag fertur

Iam superante salo, quia nondum Martia Roma

Condita tunc fuerat, nondum Babylona superbam

Condiderat Nemrot, nec Pergama Phebus Apollo.

*Quum Patriarcha supra Sintram veheretur in ampla*

*Naue tremens casu, fessusq; senilibus annis,*

*Candidior cycnis, audit quos ripa Caistri,*

*Gnatos affatur, verba exaudite parentis*

*Gnati quos genui, loquitur de pectore numen.*

Vrbem florentem bac condet Laertius Heros

Pontiuagus terra, captæ past tempora Troiae,

*Quæ caput extollet lustris labentibus olim,*

*Lusitanorum clarissima regia Regum.*

*Hanc pius Alphonsus primus Rcx inclitus armis*

Vlysses filius Laertis.

E Henricus

*Henricus capiet bello, pugnaq; cruenta  
A Sarracenis nitidis circundatus armis,  
Cornipede impositus, sub quo tremet arida tellus  
Forma conspicuus, quo non animosior ullus  
Prælia tentabit. video quoque sanguine tinetur  
Littus, sanguineumq; Tagum, qui fortia valde  
Corpora, loricas, clypeos, galeasq; sub vndis,  
Cornua, thoracas, capitumq; insignia cristas,  
Ancipites gladios, pharetras, volucresq; sagittas,  
Bistoniasq; tubas, & acuta cuspide contos,  
Fraxineas hastas fundas, & balthea, cæstus  
Plumbiferos, fuluosque lupum de pelle galeros,  
Terribiles facies morientum, pila, quadrigas,  
Cinyprias lntres, clauas, calcaria, frænos,  
Incuruas falces, parmas, tormenta, bipennes,  
Dardanios arcus, furibundaque tela reuoluet.  
Bistonias Threissas, Bistones pop. Thræiæ, a Bistone Martis & Terpsi  
chores filio sic dicti. De plumbiferis cæstibus, lege verg. Æneid. 5.  
Cinyprias id est Aphras, Cinyphe fluvio Africæ inter Syrtes. Dardani-  
os Phrygios, hoc est Troianos.*

*Alphonsi viætrice manu, stragemq; minante  
Per medias acies, fugientibus vndique Mauris,  
Fulminis ardentes flammæ imitante Chimera.*

*Tunc Tyrij merit as dabit pro crimine pœnas.  
Euerse patriæ, Regem comitantibus illis,  
Quos vir magnanimus Boreali mittet ab axe.*

*Ex Stephani Angliæ Christianissimi regis, ac Brabantiae ducis (cuius no-  
men non occurrit) Balduiniq; Heluetij, Flandriæ comitis consilio & au-  
xilio adiuti Angli, Flandri, & Brabantini in Hierosolymitanam expediti-  
onem.*

Onem biscentum p[er]auis, proprijs sedibus profecti ad Cascaem Lusitanæ oppidum appulerunt, simulque cum Alphonso Henrico primo Lusitanorum rege illa tempestate Sintræ commorante, a Mauris occupatam feliciter expugnauerunt Vlyssipponem anno. 1139.

Præterea reges superabit Marte secundo  
Quinque simul, meritoque feret mox fronte coronam  
Rex appellatus, saeuosque refrigererit hostes,  
Atque alias vrbes dux magnus & oppida forti  
Dextra expugnabit, necnon ditione tenebit.

Alias vrbes, s[unt] Eboram, Conimbricam, Capellicastrum, Zezimbram, Pal mellam, Alcacerem, Mouram, Eluas, Serpam, Vlyssipponem, Veiam, &c. In campo qui dicitur de Ourique in festo d[omi]ni Iacobi Zabedæ quinque Maurorum reges collatis signis feliciter pugnando superauit, victoriaque potitus, a suis rex fuit vocatus. Vixit annis. 91. regnauit. 46. obiit anno 1185. Idus Decembris, quo defuncto Sancius filius successit in patris imperium, amborum corpora Conimbricæ sepulta fuerunt in monasterio sancte crucis.

Isque ubi longinquæ complebit tempora vitæ,  
Compositis rebus, gnatoque bærede relicto  
Ad Superos ibit, claroque quiescat Olympo,  
Huius in æternum per sæcula longa nepotes.

Semper victores & qui nascentur ab illis  
Imperium Æthiopum in populos, Arabumque tenebunt,  
Antipodasque prement positos tellure sub ima,  
Semiferos Blemyas, & Atlantica regna, feroceſ  
Insuper & gentes certa sine lege vagantes.  
His tumidum pelagus, necnon Gangeticus orbis  
Seruet, atque duces Libyæ, regesque superbi.

Dixerat Enochides sociam gnatosque, nurusque  
Amplexu petijt, contentus prole futura.  
Enoch fuit pater Mathusalam & proauus Noæ, vnde Enochides patro

Quumq; duos vellet digito monstrare Dracones,  
Accurrit Murena salax, digitumq; momordit.

salax, quoni-  
am cum ser-  
pentib; coit;

Coniugis & pectus canda percussit adunca  
Armatus Xiphias, Iaphet Melanurus & ipsum  
Dentibus apprendit, mordaci Scorpis ore  
Sem lexit, fugitq; procul velocius aura.

Cantharus abruptus lignum, fecitq; foramen      Cant ex locu-  
Quod nisi veste nurus clausissent, scilicet aclu starū genere.

Eset de Noa, gnatis, & coniuge fida.

Neruosa mā triplici, faciliq; proboscida dente      Horribilis prændit, rapuitq; Canicula Barro,  
Infremuit Barrus, retroq; repente refugit      Bar. idem qui  
Omnia prosternens, vastæ gemuere cauerne.      Elephas

Atque Aquilæ totam caudam, quæ puppe sedebat,  
Persecat in curua furiosus forcipe Cancer,  
Ipsa quatit celeres magnis clangoribus alas,  
Inq; locum tutum sese contecit, & aurem  
Amputat horrifico Vranoscopus ore Leonis,  
Quem modo Vitisator Libycus aduexerat oris,  
Ille tremens rumpit querulis v lulatibus auras.  
Incassum, & rabidos exercet in aere morfus,

Vranoscopus sic dictus, quod cœlum aspiciat, Callinomus etiā appellatur, i. pulchrum habens nomen.

Faber, & extantis perfregit cornua Tauri.  
Ipsa Echeneis adest, Arcamq; moratur euntēm,  
Credidit & Noam scopulis considere puppim.  
Visitator Noam appellatus est qui primus omnium vitē reperit, plan-  
tauit vinumq; bibit. Echeneis Græce, Latine vero Remora, hanc naues

plena

plenis velis secundog; vento currentes detinet in mari, vnde ei nomen est, de cuius natura malta plin. atque alij autores tradiderunt.

*Acceduntq; vnā per pontum immania monstra,  
Et frangunt proræ tectum, rumpuntq; recessus,  
Subscudes stupas settasq; bitumine iunctas,  
Settas i. tabulas ex Setta ardore, ex qua Patriarcha fecit archam, apud sa-  
eras literas dicitur septim.  
Ceratasq; trabes, postes, & robora dura.*

*Lamechides timuit, simul & perterrita coniux  
Cum nuribus, gnati subita formidine pallent.*

*Quod nisi cunctipotens iterum misisset Olympo  
Lucigenam genitor gnatiq; nurusq; fideles,  
Et quæ restabant animalia mersa perirent.*

*Hinc magnum in pisces semper mortalibus ægris,  
Æternumq; odium longum permansit in æuum.*

*Motibus insolitis, Austrisq; procacibus acta,  
Atq; repulsa mari, totum lustrauerat orbem,  
Sed modo subter aquas, modo vi suspensa per auras,  
Per medios Euros, imbris gyroſq; rotata.*

*Postq; dies aliquot superum dominator ab alto  
Nubila discussit, nimbi, pluviæq; fugantur,  
Ventorum rabies cœpit mitescere, Sylvae  
Consurgunt, alga, limoq; in fronde retentis*

*Cumq; fluentia suos iterum raperentur in annes,  
(Namq; globus terræ subitarum campus aquarum  
Exiterat nuper, superataq; culmina fluctu.)  
Et pater immisas, Tritone sonante, vocaret*

Lamech fuit  
pater Noæ.

lucig. i. ange  
lum sub lu-  
ce creatum.

E 3 Oceanus

Oceanus Lymphas, scopulis firmata refoss.  
Tellus alta manet, nudataq; saxa patescunt,  
Quæ Natura potens stygjs admouerat umbris,  
Quæq; rotuuda prius fuerat, iam concava facta,  
Qua dederant nullæ molli fundamina rupes,  
Mortales melius recreat, refonetq; benigna.

Vnde Promethides lapides in corpore Matris  
Ossa vocat Pyrrha dubitante, oracula diua  
Cum dabant ipsa Themis iuxta sacraria templi.

Id est, propterea quod lapides ossium vicem ad terræ consolidationem  
habeant a Deucalione appellantur ossa magnæ parentis. Lege Nasouem  
in primo Methamorphoseos.

Viuacem Coruum Sethides misit ab Arca,  
Lætus abit crocitans nunquam redditurus, & aluum  
Putribus impleuit rugosam carnibus, inde  
Alba Columba volat, ramumq; reportat oliue  
Ore suo rediens, iam decrescentibus vndis.

Solis ad occasum trahitur modo Solis ad ortus  
Menses per septem, recta sine lege vagatur,  
Atq; dies septem numero ter, Sexq; repostis,  
Donec peruenit longis discursibus altos.

Armeniae in montes superant qui vertice nubes,  
In quibus Arca ruens moles operosa resedit,  
De qua nil restat, quoniam longinqua vetustas  
Soluit eam, inque alias usus putrefacta recessit.

De industria hæc duo carmina a Calydonio jvate in quosdam nostri tem-  
poris vagantes hypocritas, ne dicam laruatos. Sanctiliones rubris signa-  
tos crucibus foris, audaees lignipedes, duris funibus cinctos, incurui cer-  
uicum pecus

uicium pecus, & quibus proprijs laribus relictis) sub pietatis pretextu per egre per totum orbem itur, scripta videntur. Hi quidem post aliquot annos in patriam redeuntes apud rerum imperitos omnia magnifice menti entes dictitant se mundi caput Romanum antiquam Hierosolymam, venerabiles nostri redemptoris sepulchrum, & reliqua sancta loca proprijs oculis vidisse, altissimosq; Armeniæ (quod apud istos mirabilius est) montes vdi nunc extaret illa sacris celebrata literis arca, magnus quam Patriarchia Dei iussu fabricatus esset, asserentes etiam non solum cadenti similem in latus altissimi impositam esse rupibus, ingentemq; spectantibus ruinā minitari, sed etiam arium stercore superfedentium albere, atque ob id procul apparere. Postremum hoc falsum, & ad decipiēdos simplices sub-obtentu sanctimoniae excogitatum ab ipsiis impostoribus esse (ne quis te merarius inuidia motus in regium vatem immortali laude dignum venata insurgeret lingua) sic probatur. In mundo nihil interit, nihilque ex noua exoritur materia, sed tantum rerum facies mutatur, ut in cera, quæ alba in viridem, viridis in nigrum transit, cui aliæ atque aliæ imprimuntur effigies. Ad quod Pliuius alludens libro 2. cap. 1. De mundo inquit. Sacer est immensus, totus in toto, tmo vero ipse totum, finitus & infinito similis, omnium rerum certus, & similis incerto. Eiusmodi Pythagore apud Ouidium sententia est.

Nec sua cuiq; manet species, rerumq; nouatrix

Ex alijs alias reparat natura figuræ.

Nec perit in toto quicquam mihi credite mundo,

Seb variat, faciemq; nouat, nasciq; vocatur

Incipere esse aliquid quam quod fuit ante, moriq;

Desinere illud idem.

Vnde merito memorat Heraclitus omnia transire, neque quicquam permanere, fluiorumque fluctibus rerum vicissitudines comparans ait, neminem flumen idem ingredi posse, quod assidue prætereat. Quippe si animo concipiamus, quot ab exordio mundi homines extiterint, quot interierint pace, bello, peste, fateri debemus vix ullam esse terræ particulam, lignorum, herbarum, frugum, quæ non crebro fuerit pars humani corporis, adeo ut mirum videatur, quanam ratione (quando corpora reuinilcent) quisque sua possit habere membra, quum res eadem, quæ tunc fortasse lignum erit aut herba, unius hominis fuerit auris, alterius oculus, tertij cor aut Iecur, quarti cerebrum siue pulmones, veruntamen hæc naturalis est ratio diuina multo inferior vi, quæ omnia potest. Ad hæc anū

*excrementa*

Excrementa combustiva, ac putrefactiva sua natura  
mina, grandines, corruptibilis arcæ materia, atq; alia denuoae complura  
incommoda illam admirabilem arcæ formam extare minime paterentur  
quibus de causis in aliam speciem commutatam ingentem molem aper-  
te constat.

**P**rotinus hanc gnatis, socia nuribusq; vocatis

Deserit & flendo venerabile numen adorat,

Construxitq; statim quadrata altaria velox,

Armenium primum flammis immittit amonium

Dat costum, myrrhamq; focis stillataq; ligno

Balsama cum nardo, & quicquid Panchaia pinguis

Mittit, thura Sabæa simul, quæque orbe remoto

Cynnema nauclerus rubro de littore portat

Audax. Ambrosias, violas, castasq; recentes,

Assyriosq; senex aris incendit honores,

Atq; holocausta facit summo gratissima patri.

Suscipiensq; Deus raptum per inania fumum,

Inter se atque homines Irim pro fœdere tandem

Pacifero ponit, patefactis vndiq; valvis.

Quadrupedes tellus, volucres agitabile cœlum

Accipit, vnda fluens retinebat gurgite pisces.

Redditus orbis erat, squallebant omnia musco

Informi, & cœno, totasq; silentia terras

Alta tenent, nec vox volat vlla per auras.

Prostratiq; iacent longi veteresq; obelisci,

Non literis ut apud nos scripti sed variarum

In sculpti circum duntaxat imagine rerum.

**P**yramidesq; simul, vonerandaq; busta, colossi,

Non dubium

Non dubium est uocatis apud antiquos notis quibusdam, i. varia animalium effigie, insculptos fuisse, quae vel regum gloriam, vel eorum persoluta vota, sequentibus æratibus monstrarent, quæ loco literarum erat dicente Plinio libro. 36. Etenim sculpturæ illæ effigiesq; quas videmus, Ægyptiæ sunt literæ. Et Cornelius Tacitus lib. suarum hist. 13. Primi inquit Ægyptij per figuram animalium, sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta memoriarum humanarum impressa saxis cernuntur.

Strabo etiam lib. 17. ait, In Obeliscis quibusdam litere sunt, quæ regum illorum diuitias ac potentiam declarant, nam per speciem apis mella sufficientis, regem indicabant, cui cum iucunditate moderanti, aculei inesse debent. Per accipitrem rem cito factam notabant, quoniam haec aliarum ferme omnium velocissima sit avis. Per instrumenta etiam quædam, membra ve humanæ scribebant, quod Diodorus, statim in principio quarti libri plane demonstrat.

*Templaq; complures extinctis ignibus aræ*

*Sordent, dispersis albebant ossibus agri.*

*Quæ post quam vidit lachrymarum flumine vultum*

*Irrigat ipse senex sociam gnatosq; nurusq;*

*Amplexu petijt, sumptog, ligone per arua*

*Quæritat herbarum radices, semina, bulbos*

*Pertenuem victum, se seq; labore fatigat.*

*Ipse sui vultus panem sudore parabat,*

*Quo ruscatur, finito tempore lucis,*

*Incubat & terræ gramen non semper habentii,*

*Lodicumq; vicem stipulae frondesq; ministrant.*

*Vuarum specie, dulique sapore refectus*

*Per medios agros inter dumeta latentem*

*Vitem plantauit, vinumq; expressit in obba.*

*Dum bibit immodece, & plena se proluit vrna*

F Incerto

Incertoq; senis titubant vestigia gressu.  
Atq; profundus adit nutantes torpor ocellos,  
Ebrius ipse solo iacuit, partesq; pudendas  
Ostendit, quod Cham cernens rem fratribus omnem  
Nunciat, & ridet patrem tellure supinum. al. relapsum  
At reliqui fratres concurrunt vultibus ambo  
Versis, & chari texere pudenda parentis.  
Sic duo perfectum meritum sunt patris amorem,  
Qui benedixit eos, Cham autem non leta precatur.

Prole sua clarus, necnon pietate verendus  
Agricolis vacuo genitor viuebat in orbe,  
Quem Ianum appellant merito quia saecula vidit  
Bina, duas quare facies habuisse putatur,  
Vnde genus nostrum est, hominumq; resultat origo.

Magni & vniuersalis Cataclymi finis.

Deo opt. max, redemp. meo, gloria & laus in æternum.

Ingeniosi adolescentis Cuquegij Auriensi genæ de sublimi Cadabali Grauij stylo carmen.

Quum magnum scribit Grauius Cadabal Cataclysmum  
Terrificat fortes animos, mentesq; legentum.  
Non aliter pingit rapidas Calydonius vndas  
Carmine, quam Rhodius Danaorum & prælia Troum.  
Diluuium Tydæ Cygnus dum personat, vrbes  
Grandæuiq; senes horrent, iuuenesq; pauescunt.

Quum de vite, & magni Patriarchæ ebrietate, ut habetur Geneseos cap. 9.  
ab autore facta commemoratio est, hic pauca de natura vini a transcurre  
te referre, non erit a nostris scholijs alienum, Hæc igitur dum tibi lector  
meliora quæro lege, & nostris fruere laboribus.

## DE NATVRÆ VINI.

**Q**UAM profecto vinum sit suauissimus omnium liquor, præci-  
puum humanæ vite bonum, ac præstantissimum subsidium,  
maximus vitalium spirituum regenerator, atq; omnium corporis  
tum facultatum, tum functionum instaurator admirabilis, cor  
letificet, summopereq; tueatur, nulli mirum esse debet, quod plâ  
tam fructum, ex quo vinum exprimitur ferentem, vitem, quasi  
vitam appellauerint veteres. Sed non ob id gaudеant, qui vino ni  
mis indulgent, quod ego ipsum tot laudibus extulerim.

**Q**ui ppe cum omne extremum (ut in communi proverbio est) sic  
vitiosum Si vinum immoderate, & plus quam deceat bibatur,  
periculosos & horrendos procreat morbos. Alias si in eius usu  
adhibeat temperantia, ad alendum corroborandumq; corpus  
omnium efficacissimum habetur. Ante omnia purissimum gene  
rat sanguinem, oxyssime in alimentum conuertitur, concoctione  
in qua uis corporis parte adiuuat, animum addit, cerebrum pur  
gat, intellectum & ingenium excitat, cor exhylarat, spiritus &  
arterias viuificat, urinam ciet, flatus discutit, innatum calorem  
auget, conualescentes impinguat, cibi appetentiam inuitat, tur  
bidum clarificat sanguinem, obstruktiones apperit, alimentum  
in omne corpus deffert, calorem concliat, & omne excremento-

F. 2 sum ex

sum ex corpore deejcit Sed si modus absit, & sine ratione, ac tem-  
peramento sumatur, totum refrigerat corpus, & innatus corpo-  
ris calor suffocatur. Præterea cerebro, medullis, ac nernis inde  
orientibus obest. Hinc fit, ut hac principe parte affecta tempo-  
ris tractu, perniciosi comitantur morbi, nempe apoplexia, epi-  
lepsia, pcralysis, tremor, flupor, ephialtes, catalepsis, conuulsio,  
vertigo, articulorum contractio, lethargus, phrenitis, distillatio,  
surditas, cæcitas, & oris labiorumq; distencio. Ad hæc immo-  
derate sumptum bonos corrumpit mores, hominesq; reddit con-  
tentiosos, loquaces, temerarios, impudentes, libidinosos, memoria  
am dissipat, omnes perturbat sensus, assiduos parit morbos, rea-  
pentinas adfert mortes, ad adulteria & homicidia, aliaq; nefan-  
da scelera compellit. Vinum magis senectuti quam reliquis æta-  
tibus conuenit, temperat enim senilem frigiditatem, vires atq;  
calorem restituit. Sed pueris & adolescentibus usq; ad vigesimum  
annum non conceditur, secundum Galenum, quod ego non probo  
sed omni ætati ægrotantibusq; (si modus adsit) utilissimum est  
Quod Plinius testatur, quum dicit, Inuenta quoq; ratione, qua  
vinum ægrotis mederetur, relato homine a funere & conseruato  
Vino veteri nerui lœduntur, & item reliqui sensus, quanquam  
gustus suauior sit, sed aqua dilutum innoxie sumitur. Nouum  
inflat, grauia parit insomnia, ægreg; coquitur, sed vrinam ciet.  
Nigrum crassum est, & concoctu difficile, corpus alit, & ebrie-  
tatem creat, quod Noæ contigit. Album tenue, stomacho utile  
ac facile per membra distribuitur. Giluum medias inter vtrum  
q; vires habet. Austerum per vrinam celerius transit, sed caput  
dolore ten-

dolore tentat, & temulentiam ginit. Acerbum ad ciborum di-  
gestionem per membra accommodatissimum, aluum & ceteras  
fluxiones cohabet, minusq; vrinam expellit. Nouum neruos mi-  
nus tentat. Ad hæc qui hunc diuinum liquorem bibunt, plerūq;  
sunt abstemij saniores, formosiores, fortiores, animosiores, inge-  
niostiores, calidiores, sapientiores, humaniores, laborum tolerantia-  
res, liberaliores, iucundiores, velociores, moderatores, grauiores,  
constantiores, & ad omne præclarum facinus aptiores, ad lite-  
ras, studia, bonas artes omnigenamq; virtutem procliuiores, ac-  
commodatores, & præstantiores. Socij, comites, sodales, humani  
fidi, misericordes, pijs, religiosi. Ad summam, hoc vnum inter mul-  
ta vino debemus, quod sine siti bibimus. Quod vini natura frigi-  
das sit, probat Macrobius in Dipsario, quod ego quoque sine Ma-  
crobio validis, ne dicam cornutis argumentis contra philosopha-  
stros probarem, ni temporis angustia prohiberet. Quemadmodū  
Homo inter bruta, inter feras Leo, inter aves Aquila, Sol inter  
sydera, Aurum inter metalla, ita Vinum inter potus principatū  
habet.

Vina bibant homines, animalia cetera fontes.

Bacchum poterit homo, bellua tristis aquam.  
Felices habentur, quicunq; nascuntur in regionibus generosa vi-  
na ferentibus. Varia vinorum genera sunt, & a locis vhi prouen-  
niunt demoninata. Optima vina quatuor sensibus placere de-  
bent, auribus fama, naribus odore, oculis colore, sapore palato.

### A Q V A R V M N O M I N A.

Mare propriæ quod terram influit, vel quod intra terram conti-

F3 netur, cuius

netur cuiusmodi est Ioniam, Ægæum, Persicum, Libycū, Adriaticum, Rubrum, Caspium. Portus dicitur a portando quod merces illuc portetur. Sinus inter littora curva est, & mare quasi brachijs amplectentia. Fretum locus angustior maris inter duo littora. Isthmus terra angusta inter duo maria. Fluuius vel flumen aqua perennis ac perpetuo fluens. Lacus est locus profundus aquas habens perpetuas. Stagnum stagnans aqua, vel quietans, quæ hyeme colligi solet & aestate siccari. Torrens, vel amnis aqua, quæ ex alto fertur in valles. Lacūna sunt fossæ, in quibus aqua collecta stare consuevit. Fons aqua est, quæ a terra manat, ac manibus hauriri potest. Palus aqua est in altitudinem latius diffusa.

### De Geographorum nominibus.

Quadruplicia sunt nomina Geographorum. Prima maris, mari timorumque locorum, sunt hæc. Oceanus, Pontus, Sinus, Fretum, Æstus, Euripus, Bosphorus, Portus, Ager, Littus, Ora, Chersonessus id est Peninsula, Isthmos, Insula, Promontorium. Altera nomina generalia Partium terræ, sunt hæc. Continens, Terra, Territorium, Regio, Regnum, Provincia, Gentiles, Populus, Plebs, Vrbs, Ciuitas, Opidum, Emporium, Castellum, Vicus, Pagus, Rus, Vila, Casa, Tugarium. Tertia nomina agrorum sunt hæc. Mons, Collis, Tumulus, Clinus, Vallis, Conuallis, Rupes, Vertex, Iugum, Culmen, Cacumen, Fauces, Campus, Ager Aruum, Pratum, Pascua, Sylua, Lucus, Nemus, Saltus, Virgulata, Spinetum & similia. Quarta nomina generalia Stagnorum & cætero

Cæterorum aquorum locorum sunt hæc: Fons, Riuus, Flu-  
uins, Flumen, Fluentum, Torrens, Gurges, Amnis, Fluctus, Osti-  
um, Vnda, Ripa, Alueus, Vadum, Lacus, Stagnum, Palus, Lacū-  
næ, Cisterna, Piscina, Thermae.

### De Orbibus.

Partes sphære, siue mundi sunt præter quatuor elementa, orbis  
decimus, siue extreμus, orbis nonus, orbis octauus, qui & firma-  
mentum cœlum nuncupatur. Deinde orbes septem stellarum  
errantium, seu planetarum, Saturni, Iouis, Martis, Solis, Vene-  
ris, Mercurij, Lunæ. Aristotelis, Ciceronis, ac Plini temporibus  
non plures quam octo erant inuenti. Quorum supremus proprie-  
tates est cœlum, a cœlando, quod varijs sit cœlatus rerum figu-  
ris. In eo sunt omnes stellæ præter septem, que obliquo motu sub  
ipso feruntur. Sol terram, terra lunam magnitudine vincit. So-  
lis magnitudinem lunæ defectus indicant. Nam si minor esset  
quam terra, in tantam cresceret amplitudinem umbra, ut singu-  
lis mensibus per quinque aut sex dies lunam occultaret. Quum  
igitur certum sit Solem esse terram maiorem, certum quoq[ue] est in-  
credibilem esse distantiam, que sydus facit tam paruum videri.  
Rursus certum est & maximum naturæ miraculum, tantam es-  
se posse celeritatem syderis, ut intra diei spatiū uniuersum lu-  
stret orbem. Indidem alia existit admiratio, qua ratione cœlum  
quod non minore interstitio a Sole quam a terra Sol abest, intra  
tempus idem circumagatur.

Decimus

Decimus orbis quotidie ab exortu per meridiem in occasum decurrit, & circulat in absoluit, horis viginti quatuor. Hoc motus extremus alios omnes interiores secum quotidie circumducit. Proinde motus idem etiam motus mundi cognominatur, quod eo omnia circumagantur, praeter quatuor elementa. Orbis interiores motum habent obliquum & contrarium huic, ab occidente per Austrum in Orientem. Quem non iisdem tempore sumptu atque omnibus absoluunt. Nonus namq[ue] orbis quadraginta non uenit milium annorum intercedente circuitum perficit, octauus septem milia annorum, Saturni orbis tricenis annis, Iouis duodecim, Martis binis, Solis, Veneris, Mercurij singulis, Luna mense.

### In Zoilum.

Ito procul mordax, dulcis tibi pocula Bacchi,

Alcinoi mensam, deliciasq[ue] para.

Carmina ne carpas magnis que dictat Apollo,

Cum Grauium recreat iuxta Helyconas sopor.

De te (si nescis) pœnas Rhaminus fumet

Protinus, atq[ue] scelus comprimet illa tuum.

### Comparatio

Non timet impulsus incus ut maxima crebros,


Sic spernit Cadabala murmura vana canum.

Aligeris Alpina ut quercus concita ventis


Perstat, sic Grauius permanet, atq[ue] viget.


Res  
2966








the first time in the history of the world, that  
any nation had been compelled to give up its  
territory, and to pay a sum of money, in order  
to secure its independence. The United States  
had been compelled to do the same thing, in  
order to secure their independence. The  
United States had been compelled to do the same  
thing, in order to secure their independence.


















23

A small, rectangular red and white paper label is attached to the right edge of the book cover. The number '23' is printed in black ink on the white portion of the label.